

Z u r
öffentlichen Prüfung
der Zöglinge

des

Königlichen Gymnasiums zu Lissa

am 3. April 1849

ladet

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst ein

der Direktor des Gymnasiums

A. Ziegler.

Inhalt:

1. Beiträge zu practischen lateinischen Stilübungen, vom *Professor Matern.*
2. Schulnachrichten, vom *Direktor.*

L i s s a .

Gedruckt bei Ernst Günther.

Öffentlichen Prüfung

der

an

Universität zu



am

Gr. 31024

alle

ein

der

A. Richter

haben

haben

haben

haben

haben

Loci nonnulli ex historia gentium sumti latino sermone expositi in literas latinas discentium usum.

PRÆFATIO.

Quum in regendis latinis juvenum nostrae disciplinae traditorum scriptionibus id potissimum mihi propositum esset, ut eos ad res historicas latino sermone satis commode tractandas exercerem, eam ingressus sum viam, ut ipse locos ex historia petitos viva voce iis praeirem, ut his exemplis uterentur ad alios historiae locos simili modo tractandos, atque ita sensim sensimque procederent ad aliquam non prorsus contemnendam latine scribendi facultatem. Animadvertent enim maxime eos idonea locutionum latinarum copia destitui, ita ut in mandatis sibi latine scribendi speciminibus perquam exiliter et incommode versarentur. At habent Sallustium, Caesarem, Livium, alios! sed hi nitidissimi scriptores in iis argumentis tractandis versantur, quae maxima ex parte juvenibus nostris exemplo esse non possunt; dico longas illas proeliorum descriptiones et orationes de rebus publicis a personis in historicam scenam productis habitas, quarum in larga copia immensi est laboris apta eligere in eum, quem dixi, usum, praesertim quum nostris adolescentibus tanta occupationum varietate districtis necessarium ad excerptendam ex illis scriptoribus idoneam locutionum copiam otium non suppetat. Succurrendum igitur huic difficultati ita existimavi, ut, quum ipse iis historica argumenta latinis verbis tractandi exempla proponerem, viam iis munirem ad similes scriptiones recte instituendas. In hunc finem conscripsi multa, e quibus haec, quae sequuntur, publici nunc juris facio. Qua in re non opus est monere, me longe abesse ab ea arrogantia, ut nova rerum inventa nova luce illustrata in medium protulisse mihi videar, quibus doctos docerem; imo aperte profiteor, me non nisi de notarum rerum interpretatione latina cogitasse, qua latinas literas discentibus juvenibus prodessem, et ad hanc mensuram eos velim dirigere suum iudicium, qui de his commentariolis iudicabunt.

§. 1. De vi et natura historiae et variis ejus generibus.

Si simpliciter historiae, nulla adjecta singularis partis ejus significatione, mentio fit, cogitamus fere de historia universali, quae ita videtur definiri posse, ut eam dicamus enarrationem esse vicissitudinum memoratu dignarum, quas humanum genus temporum progressu subierit, atque eam quidem enarrationem, quae luculenter doceat, qui fuerit universus rerum humanarum uno quoque tempore status.

Omnino insitum id est ab ipsa natura homini, ut quidquid aut ipse vel agat, vel sentiat, vel cogitet, aut ab aliis videat agi, sentiri, cogitari, quod quidem aliquam ob causam memoria dignum sit, id memoriae vi complecti velit, ita ut et sui ipsius semper sibi conscius sit, et veram rerum, quae circa eum geruntur, notitiam mente concipiat. Sed quum vis memoriae non satis firma et certa sit, homo res eas, quarum memoriam quam longissimam et certissimam efficere vult, literis consignat. Natura mentis humanae maxime ex iis apparet, quae quisque fecit, sensit animo vel cogitavit; nam non solum in externis actionibus posita est hominis vis et natura, sed etiam, et vel maxime, in sentiendo et cogitando. Summa in homine sunt recte sentire, recte cogitare, recte agere; his tribus aptissime in aliquo homine conjunctis summa ejus dignitas continetur. Quum igitur sui sibi conscius esse velit singulus quisque et maxime quidem eo, quod sua ipsius acta, sensa et cogitata memoria complectatur, idem usu venit in totis gentibus, in universo genere humano; quam maxime gentium singularum et totius generis humani interest, sua ut acta, sensa, cogitata memoria servent, ut sui sibi conscia sint et sui simulacrum in hoc quasi speculo spectent, et id ut efficiant, summo labore contendunt rerum scriptores; operam dant, ut singulae gentes aut universum genus humanum sui quasi imaginem habeant, quam intuitu sui ipsorum conscia sibi fiant, ut suarum rerum memoria se ipsa cognoscant. Magnum sane meritum est, praeteritorum temporum sempiternam memoriam, literarum monumentis eam consignando et stabiliendo, posteritati prodidisse, et rerum humanarum, id est, omnium eorum, quae unquam ullo in genere mentem humanam insignius permoverint, veram adumbrasse imaginem.

Facile apparet, earum rerum, in quibus explicandis historia versatur, immensam esse varietatem, quum non solum acta, sed etiam sensa et cogitata animi humani ejus lucem desiderarent. Artium ab hominibus inventarum, religionum ex intimis mentis humanae recessibus profectarum, disciplinarum in vero, honesto et utili exquirendo positarum, omnium omnino studiorum, quibus mens humana aliquid proficere voluit ad sui ipsius cognitionem et ad virium suarum usum augendum et quibus speciem quandam summae perfectionis humanae procreare conata est, omnium harum rerum memoria amplis historiae spatiis continetur. Itaque praeter vitas singulorum hominum, qui rebus gerendis, aut artium cultu, aut sacris constituendis, aut in rerum naturam inquirendo, aut aliis animi artibus excelluerunt, praeter historias singularum gentium vel singularum ab his gestarum rerum, denique praeter universi generis humani historias, sunt etiam singulares religionum, literarum et artium historiae, et hae quidem maximam vim habent ad definiendum eum culturae et humanitatis statum, quem in singulis temporum gradibus obtinuerit ipsa mens humana.

Sed hic imprimis eam historiae disciplinam spectemus, quae in ipsis singularum gentium et totius generis humani rebus publice gestis describendis versatur, cujus in principio non alienum videtur paulo altius in rerum humanarum rationem inquirere et diligenter quaerere,

quaenam in iis sit illa summa vis, quae omnia moveat et in omnibus dominetur. Etiam hoc loco ex singulorum indole et studiis de totarum gentium agendi ratione concludere juvabit.

Facile unus quisque sentit, suum esse, ad summum, quem quidem assequi possit, felicitatis gradum eniti, sed consequi hunc propositum sibi finem se non posse, nisi apta huic rei consilia capiat et vias ad hunc finem ferentes ingrediatur, omnino nisi summam adhibeat prudentiam et vim insitae sibi rationis. Sed simul videt, inutilem sibi esse prudentiam et rationem, nisi plena libertate utatur ea consilia perficiendi, quae prudentia et ratione invenerit, et impedimenta felicitati suae obstantia removeat. Hinc summa vi unus quisque nititur, ut e rationis legibus agat et necessaria ad recte agendum et beate vivendum libertate utatur, id est, ut facultatibus sibi insitis libere uti possit ad salutem suam stabiliendam et augendam. Nam libertas sine dubio is est hominis status, in quo suae ipsius naturae legibus recte intellectis, nullo alio impediendo, obsequi, atque ita pro virium modo insitas sibi et corporis et animi facultates explicare possit ad salutem suam procurandam. Contra servitus est, quum quis cogitur contra suae ipsius naturae leges et contra suam ipsius utilitatem agere. Quum igitur singulus quisque tendat ad libertatem agendi et ad potestatem facultates sibi insitas explicandi, etiam totae gentes ad eundem libertatis inter se stabiliendae finem tendunt. Tum vero facile apparet, neque singulorum neque totarum gentium libertatem in vesanam quandam licentiam debere degenerare, quae communi utilitati prorsus contraria sit, sed sanae rationis et communis salutis leges inveniendas esse, quibus singulorum male intellecta libertas coërceatur. Harum legum primum locum ea obtinet, qua summa in una quaque civitate potestas constituitur. Sed hae leges in singulis civitatibus diversissimae sunt. Aliae enim gentes unius imperio nullis legibus circumscripto, aliae item unius imperio, sed certis quibusdam finibus incluso, aliae proceribus summa rerum gerendarum potestate tradita, aliae totius populi summae auctoritatis communi communi saluti optime consuli, persuasum habent. Deinde commoda et studia unius commodis et studiis alterius saepissime impediri videntur, ita ut suis quisque rebus utile putet, alterum sibi officientem impugnare. Qua ex opinionum et studiorum differentia dissensiones et inimicae voluntates, deinde acerbissime gestae contentiones oriuntur, ita ut infestis animis et ardentibus odiis alteri alteros insectentur. Hinc singulorum rixae, hinc totarum gentium certamina, hinc ingentes fortunarum ruinae, hinc bella et cruentae caedes.

Omnia haec ex humanis erroribus consequuntur e falsa rerum bonarum, et maxime quidem e falsa communis salutis et libertatis interpretatione. Quotus enim quisque suae ipsius salutis recte consulere didicit? et multo difficilius est, totas gentes sua recte intelligere commoda. Tamen retinendum est libertatis studium; et si non continuo afferat communis salutis perfectionem, tamen semina omnis futurae felicitatis in hoc studio inclusa esse apparet. Sed ubi homines multis calamitatibus docti intelligunt, perpetuis altercationibus et natis inde contentionibus plus damni quam commodi ferri, tum et unius civitatis cives et totae gentes aequa sibi constituunt jura, quae communi saluti quam maxime prospiciant; et gentes quidem bellis defatigatae foedera ineunt ad jus quoddam gentium sancendum.

Sed quum in perpetuo motu sint res humanae iterum atque iterum subnascuntur mutuae contentiones. Ita semper in eundem revolvuntur orbem fata hominum, sed eo tamen discrimine, ut temporum decursu in dies melius discant homines, quibus potissimum rebus, qua potissimum agendi ratione, quibus potissimum institutis quam facillime tueri possint communem salutem et communia augere commoda. Ita ad altiosem semper perfectionis gradum progredi videmus hominum studia.

Sed non tam singulorum hominum studia contemplatur historia universalis, quam conjuncta totarum gentium conamina. Solitarius homo non cadit in historiam, cujus pars nemo esse potest, nisi pars sit societatis humanae, et eum quisque in historia obtinebit locum, quem sibi in vitae communi vindicavit; et quanto quisque plus fecit ad statum rerum humanarum in melius immutandum, tanto majore in honore erit nomen ejus in historiae monumentis. Nam existunt subinde certis temporum intervallis homines, quorum eximia opera est ad immutandam rerum humanarum faciem. Sed neque hi summis in temporum fastis celebrati laudibus homines soli per se effectores evaserunt aut rerum ab iis gestarum aut eorum, quae iis tribuuntur, institutorum; sed multis usi sunt adjutoribus, ita ut appareat, multorum demum conjunctis studiis omnes in societate humana effici rerum mutationes.

Hactenus vidimus, rectae homini insitae rationi et libertati agendi, intimo vinculo cum illa conjunctae, plurimum virium ad res humanas constituendas tribui necesse esse. Sed jam videamus, num praeter illam naturae humanae indolem et nata ex ea studia alia sint in rebus humanis regendis moventia? num alia sit extra hominem posita vis, quae res humanas temperet atque regat.

Multi statuerunt aut coecam quandam esse fortunam et casum aut necessitatem quandam insuperabilem, quae in rebus humanis moderandis plurimum valeant, et has potestates vehementer officere humano consilio humanaeque libertati. De qua re nos ita statuimus, in singulis levioribusque rebus sane multum momenti habere illam, quam vocant, fortunam et casum, quanquam haec ipsa eveniunt e quadam naturae necessitate aut rerum nexu, certis legibus constituto, sed nullius esse haec momenti in universa societatis humanae regenda salute; hanc prorsus pendere e consilio et ratione humana. Insitam animo humano vim illam, quae cogitando verum invenit, agendo communem salutem et libertatem parat, omnes videmus fortunae lusus eludentem, summum ei rerum arbitrium eripientem, omnes oppositas difficultates vincentem.

Coeco casu sine dubio homo non ferretur ad semper majorem perfectionem, quod tamen fieri negare quis audeat?

Sed quamnam alii loquuntur necessitatem, quae summam imperii in regendis rebus humanis obtineat? Video rerum nexum necessitatis quodam vinculo inter se aptarum; sed video etiam vim mentis humanae, naturali rerum ordini leges praescribentem et supra naturae necessitatem se efferentem; video vim animi humani immensam esse ad temperandum et moderandum rerum ordinem. Quis igitur eos ferat, qui fortunae aut necessitati cuidam summum rerum arbitrium tribuentes, hominem, erepta ei agendi libertate, ad inertium pecudum statum detrudunt? Sed alia sane est necessitas, ipsi menti humanae a natura rerum imposita, necessitas virtutis, de qua Cicero in libris, quos de rebus publicis recte instituendis scripsit, egregie disserit. Est quaedam necessitas, quae genus humanum urget, ut damna e vitiis et levitate nascentia, quibus omnium rerum interitus provocatur, a se depellat: est necessitas quaedam, quae hominem compellit ad amplectendam virtutem, omnis salutis effectricem; et si suae quemque fortunae fabrum esse de privatis singulorum hominum rebus recte judicamus; quanto magis de universis gentibus idem dicere necesse erit. Necessitas virtutis etiam his imposita est, nisi interire quam florere malunt.

Sed jam aliam et verissimam quidem contemplemur sententiam, eam dico, qua statuitur, esse quoddam supremum numen divinamque sapientiam, quae intersit rebus humanis easque summo arbitrio regat. Verissimum hoc esse confiteatur necesse est, quisquis in rerum humana-

rum cursum paulo accuratius inquirat. Sed id non ita dico, ut rationi et libertati humanae hac re quidquam derogetur; contra id dico, rationem humanam intimo vinculo cum divina ratione nexam esse, et eam demum veram esse rationem et libertatem humanam, quae cum divinae mentis ratione congruat. Haec, quae omnia in principio rerum constituit et omnia summa vi complectitur, etiam mentem humanam creavit eamque non sui dissimilem fecit; quae humanae rationis cum divina ratione congruentia omnem dubitationem tollit, quae de libertate humana ex utriusque comparatione nasci possit. Tum demum homo vere liber est, quum divinae suaeque ipsius rationi obtemperat, et opera humano consilio effecta ipsius divini numinis opera recte dicuntur. Quis diffiteatur, vim mentis humanae ex ipsa divina mente originem trahere? Quis igitur neget, perfectissimum quemque hominem instrumentum quasi esse divinae voluntatis, quum sanctoris suae ipsius naturae obtemperet legibus. Supremum numen in ipsa mente humana agit; atque ex hoc divino fonte omnia salubria in genus humanum redundarunt; hanc originem profitentur literae, artes, religiones, civilia instituta, leges. Divini numinis beneficio omnia bona debemus, ejusque infinitam sapientiam et summum erga homines amorem maxima veneratione et gratiarum actione prosequamur. Summum vero ejus consilium est, ut genus humanum per certos gradus ad sublimiorem semper verum intelligendi et bonum perficiendi facultatem evehatur.

Sed sane confitendum est, nihilominus hominem ipsum ejusque rationem debilem esse ejusque naturae admixtam esse imbecillitatem quandam, quae vehementer obfcit ejus saluti et perfectioni. Obnoxia enim illa est libidini, quae rationi adversatur. Sed id ipsum ita institutum est ipsius divinae providentiae incomparabili sapientia, ut vera existere possit virtus, quae non nisi e superatis difficultatibus cerni recteque aestimari potest. Absoluta perfectio in uno est Deo; homini non nisi studium veri bonique relictum est, sed id ipsum unum per se salutare, atque validior sane est melior in homine ad virtutem tendens nisus quam imbecillitas ejus; alioquin nulla in meliorem partem esset rerum humanarum mutatio, nullus, qui re vera est, ad majorem perfectionem progressus. Peccant quidem homines omnes, a divina voluntate recedentes, atque adeo vel summi illi homines, qui ceteroquin decora sunt generis humani, et peccandi proclivitas omnes rapit, sed correctio hujus imbecillitatis in promptu est et ipsa divina hominis natura eam efflagitat et parat.

Sed quum ita, ut diximus, hominis magnitudo et dignitas, in persequendo vero et recto posita, atque contigua ei verae rationi refragrans imbecillitas perpetuo inter se pugnent, dissona illa existit in generis humani historia discrepantia et confusio, ut certis quibusdam temporibus terram, hominum sedem, hominum se ipsos perdentium sanguine madentem videamus, quum mutuae irae exardescunt, imbecillitatis humanae triste testimonium. Contra, item certis quibusdam sed laetioribus temporibus, aliud nobis repraesentat historia generis humani spectaculum, quo homines concordantes et ipsa mentium et studiorum concordia laetos quasi in id unum studium conversos videmus, ut sibi inter se opitulentur, ut ad communem omnium salutem vires conferant, ut divinam originem suam mutuo amore et caritate et boni verique appetentia testentur, laetum naturae sublimioris in homine efficacis testimonium.

Sed ut ad summam rei nobis propositae redeamus, docet igitur historia, quid peccerint homines libere agentes et ad communem libertatem et salutem tendentes ad res suas ita immutandas, ut ipsi in dies propius accedant ad perfectionem eam, quae in hominem cadit et cujus fines uno quoque hominum nisu latius extenduntur.

Veritas summa ejus lex est. Tamen multa sunt, quae lucem ejus desiderant, neque tamen veritati prorsus accommodate exponi possunt, quia accurata eorum memoria posteritati prodita non est, et ut quaeque vetustate remotissima sunt, ita maxima premuntur obscuritate. Sic ipsa generis humani initia tenebris involuta itemque unius cujusque gentis primordia eadem caligine obruta sunt. Nam rerum memoria maxime arte scribendi stabilitur; quae ubi deest, rerum memoriam aut prorsus interire aut corrumpi necesse est, incerta tantum earum fama remanente. Antiquissimis vero temporibus scribendi ars hominibus nondum cognita erat; postquam inventa est, tamen a paucis tantum exercebatur propter eas difficultates, quibus ab initio premebatur. Deinde, postquam scribendi opportunitas in promptu erat, tamen aut defuerunt, qui res scribere possent aut vellent, aut, quum inventi sunt, qui eas perscriberent, multi rerum veritatem obscurarunt aut propter inscientiam aut ira aut metu aut partium studiis a veritate abalienati.

Sed quum varia historiarum genera sint, ut supra vidimus, pro rerum in iis tractatarum varietate, tum etiam ipsarum gentium historiae variae sunt pro diversa res tractandi ratione et prout scriptores earum ad altiorem quandam sublimitatem tendunt, aut in inferiori nisu subsistunt. Alii rerum scriptores facta simpliciter narrant, ita ut ipsa primo adpectu gesta apparent, nulla diligentiori adhibita causarum et finium perscrutatione; alii hunc rerum nexum et rationem, qua illae gestae sunt, diligenter explorant, et altiorem legentium intellectum spectant, docendo et praecipiendo intenti, ut hominibus in rebus publicis versantibus explicanda rerum civilium et bellicarum ratione prosint, quod graece pragmaticum genus historiae vocatur; alii in singularum rerum veritatem altius indagant, ut, quae falso antea prodita sint, arguere et emendare, et quid veri illis aut erroribus aut mendaciis subsit, scrutari, omniaque veritatis luce illustrare studeant, quod criticum genus vocatur; alii denique historiam scribentes absolutam artis speciem menti propositam habent, ad quam nitentes plenam et perfectam rerum imaginem contemplationi intelligentium proponere volunt; qui interiora hominum agentium consilia perscrutantes, arcana mentium humanarum earumque intimos recessus recludentes, hominum singulorum et totarum gentium agendi rationem vere adumbrantes, causarum et eventuum nexum illustrantes, luculenta rerum gestarum simulacra literis produunt. Hi summi illi sunt historiae artifices, quales Thucydides, Sallustius, Tacitus inter veteres rerum scriptores fuerunt.

§. 2. De iis disciplinis, quae historiae subsidio sunt.

Eos, qui gentium res gestas describere conantur, fontes, e quibus rerum cognitio hauritur, adire necesse est. Hi fontes in primis sunt literarum monumenta, quae ut cognoscas, plurimarum linguarum scientia opus est. Sed etiam aliae res usui sunt ad intelligenda ea, in quibus explicandis historia et maxime quidem antiquitatis et medi aevi historia versatur, ruinae, id est aedificiorum reliquiae, statuae, columnae, earumque inscriptiones, nummi, stemmata, sigilla, quarum rerum cognitio maxime ad priscorum temporum accuratam notitiam plurimum utilitatis habet. Maxime vero historiae cognitionem adjuvat temporum et locorum scientia, quam chronologia et geographia exhibet. Primum plurimum interest scire, quo quidque tempore gestum sit; nam facile intelligitur esse quandam rerum successionem, quam cognitam habeas necesse est, si ipsas res recte velis intelligere. Nam indubitabilis est et ut ita dicam omnipotens, cau-

sarum et eventuum nexus et scire nos necesse est, quam quidque tempore antecedens vim habuerit ad insequentia provocanda et conformanda, et quomodo quidquid homines agunt, aliud ex alio pendeat. Sic res Darii recte intelligi non possunt, nisi antea perspectum habueris, quid Cyrus egerit, ad intelligenda Cyri acta opus est ea cognovisse, quae tempore antecedentes reges Medorum perfecerint, quorum ipsorum regnum existere non potuisset, nisi antea Assyriorum dominatio fracta fuisset. Sic etiam contentiones illae, quibus Pompejus et Caesar de summa rerum inter se decertarunt, intelligi recte non possunt, nisi perspecto priorum temporum statu, nisi paulatim labefactatam senatus Romani auctoritatem et Marii, Sullae, Catilinae, Clodii conamina cognita habeas. Sic neque religio ea, quae Christum auctorem profitetur, quam eruditissima pars generis humani temporum decursu amplexa est, pro ortu suo et indole intelligi non potest, nisi sacra a Mose instituta et prophetarum Israeliticorum studia in emendanda sacra conversa prius intellexeris.

Deinde locorum, in quibus quidque gestum est, cognitio necessaria est ad gentium res gestas recte percipiendas et non solum ad proeliorum rationem, quae magna ex parte e locorum natura pendet, accurate cognoscendam situum cognitio plurimum facit, sed multo magis ad recte intelligendam singularum gentium a natura iis insitam indolem. Nam homo mirum in modum pendet a natura loci, in quo vitam agit, et prorsus alia est sentiendi et agendi ratio eorum, qui in terrae tractibus solis calore ardentibus ad vehementiores animi motus concitantur, alia eorum, qui sub septentrionibus frigent. Gentes, quae ad maris littora accolunt, vasta ejus aequora percurrere solent ad mercaturam factitandam. Ita merces undique advectas magno cum lucro suo in alias terras important; unde ad industriam et inveniendi sollertiam excitantur. Contra gentes, quae in medio continenti incolunt, agriculturae operam dare solent. Montani ferocius spirare et a liberiori cultu abesse solent, quippe qui magis venationi aut pecoris cultui quam agris colendis intenti, multisque quotidie periculis obnoxii ad defendendam vitam corporis vires quam artes colere malunt, unde ferociae facile assuescunt. Etiam soli naturam et fructuum usum, quos quaeque fert regio, et aëris temperiem magnam vim habere videmus ad temperanda hominum ingenia. Soli sterilitate vires incolentium aut attenuantur aut, pro diversa eorum natura, ad industriam exacuuntur; laetior feraciorum arborum proventus aut ad alacriorem virium usum excitare aut ad luxuriam conjunctamque cum ea desidiam emollire solet. Ad omnia haec naturae humanae e natura locorum orta discrimina diligenter attendat necesse est, qui res gestas describere conatur.

§. 3. Quibus rebus singulae Graecorum civitates melioribus Graeciae temporibus communi quodam vinculo conjunctae fuerint.

Quum multa Graecis peropportuna fuerint ad insignem in gentium historia occupandum locum, tamen id damno iis erat, quod inde ab antiquissimis temporibus semper in multas easque parvas civitates disjuncti non uni parebant imperio. Diu quidem melior iis insita mens mala ea, quae e divisis nimis viribus nasci solent, procul habebat; accedebat, quod diu a nullo praepotenti hoste sollicitabantur, ita ut libertatem diu servare possent. Postea, quum magnum a

Persis iis immineret periculum, ingenerata eorum virtus et libertatis amor servitatem ab iis arcebat, sed non ita multo post, quum pristina mentis integritas deficere eos coepisset, in intestinas discordias prolapsi, ipsi se perditum ibant, ita ut externorum hostium praeda fierent, primum Macedonum, deinde Romanorum. Juvat quidem ad feliciora eorum tempora animum attendere et ea dispicere, quae, donec mens eorum sana esset, bene gesserint; sed brevina illa fuerunt; quamquam negari non potest, fuisse quaedam vincula, quae eos conjunxerint, quamquam diversis legibus in diversas civitates discretos, atque in haec nunc paulo latius explicanda studium nostrum conferamus.

Antiquissimis temporibus, ex quo historiae quaedam vestigia exstant, inter Graecos imperium obtinebant reges, quorum auctoritate moti primum illi in civiles societates coierunt. Dubia quidem atque obscura est illorum temporum memoria, et multa fabulosa de iis prodita sunt, sed tamen ea, quibus aliquid veri subesse dubitari nequeat.

Multae igitur civitates erant Graecorum sub multorum principum imperiis, et dum reges iis praeerant, nulla alia re continebantur, quam horum ad eadem consilia conjunctis studiis eorumque affinitatibus. Plerumque autem reguli illi se ad bellicas expeditiones conjungebant, in quibus armorum et gloriae, vel etiam praedae studio obtemperare possent; atque gentes eorum propter bellandi cupiditatem ad armorum societates facile movebantur. Bellandi igitur in primis cupiditas et animorum fortitudinem spirantium nobiles spiritus ad magna facinora perpetranda et periculosa conamina subeunda et gloriam inde quaerendam facile exardescentes singulos principes eorumque gentes conjungebant, atque unius vel Jasonis vel Herculis vel Thesei nomen sufficebat ad multos ad eadem arma conciliandos principes. Sic natae sunt expeditiones Argonautarum et bellum Trojanum et media utriusque expeditio septem ducum, qui Thebas oppugnaverunt. Atque Argonautae quidem cum Asiam tum Colchidem infestis armis petebant, ut fabula fert, ad recuperandum aureum vellus, aut fortasse ad repetendas ingentes opes, quas Phryxus, Athamantis regis filius, insidias Inus novercae fugiens ex opulento Orchomeno secum in Colchidem abstulerat. Jason, Hercules, Theseus, Orpheus, Castor et Pollux, gemini fratres, quos hominum opinio in deorum numerum extulit, Calais et Zetes, Telamon, duces hujus expeditionis erant. Ad Thebas oppugnandas et ut Eteoclem tum ibi regnantem regno exuerent, arma junxerunt Polynices, Adrastus, Tydeus, Capaneus, Parthenopaeus, Hippomedon, Amphiarus. Post luctuosum hujus belli exitum, ut parentium suorum interitus ulciscerentur, bellum renovarunt filii eorum, Thersander, Alcmaeon, Diomedes, Sthenelus, Promachus, Aegialeus, Amphiloehus.

Bellum Trojanum injuria ea conflavit, quam Paris, Priami regis Trojani filius, violato hospitii jure, Menelao, regi Laconiae, intulerat. Ad repetendam raptam Helenam et ignominiam illam vindicandam omnes fere Graeciae principes se junxerunt, quorum in primis nominis gloria nobilitati sunt Agamemnon etc. Hoc calamitosum bellum ingentes ruinas traxit. Domus regiae per discordias intestinas, diuturna regum absentia ortas, vehementer labefactatae sunt. Multi principes aut bello aut domesticis insidiis interemti, multi expulsi in alienas terras. Sic regia potestas primum fracta, deinde prorsus sublata est. Summa rerum ad primores singularum civitatum rediit. Tum vero fieri non potuit, quin diuturna dissidia sequerentur. Nobiles in inferiores saevire, regum imperium singuli affectare, plebs nobilitati obsistere, nobiles inter se ipsos dissidere; hinc mutua odia, vis, caedes. Atque non tantum unius civitatis cives se oppugnabant, sed saepissime etiam civitas civitati bellum inferebat. Quum igitur singulae urbes ita intestinis discordiis se ipsae infestarent et magnum esset periculum, ne ita communis stirpis oblitae et

viribus fractae parum idoneae forent ad arma extrinsecus illata propulsanda, his malis ita occursum est, ut singulae civitates foedera inter se inirent eo consilio, ut communem salutem tuerentur, ut conjunctis viribus se contra externos hostes defenderent, ut civilibus odiis mederentur, ut lites in communibus conciliis dijudicarent, ut providerent, ne tyranni existerent. Haec foedera, religionibus sancita et tutelaribus alicujus dei praesidio commissa erant, et conventus a solemnibus sacris auspiciati semel aut bis in anno agitabantur interposito jurejurando, ne qua civitas sententiae a communi concilio latae obniteretur. Foedera ejusmodi erant septem maritimarum urbium, Athenarum, Prasiarum, Naupliae etc. quarum conventus Calauriae in templo Neptuni, tutelaribus dei, habebantur, deinde duodecim civitatum Achaicarum, quarum legati primum Helicen, postea Aegium, conveniebant; hae ejusdem Neptuni praesidio se commiserant; Boeotorum foedus, cui Thebae praesidebant, Panaetolium, Aetolorum societas, qui Thermi concilia sua habebant.

Longe nobilissimum vero foedus erat Amphictyonum, quo duodecim Hellenicae gentes se junxerant, Jones, Doros, Locri, Phocaei, alii, quorum legati primum semel in anno ad templum Cereris conveniebant, quod Pylaea vocabatur, et in Thermopylis situm erat, postea bis, vere Delphos, sedem clarissimi oraculi, auctumno Thermopylas. Verisimile est, hoc foedus brevi post bellum Trojanum ante Dorensium migrationem ab Hellenicis gentibus, quae Thessaliam incolabant, institutum fuisse. Hae gentes, quum nondum latius per plures Graeciae partes propagatae sed angustis finibus inclusae finitimae sibi essent, eam ab causam sine dubio Amphictiones appellabantur. Minorem fidem ea habet opinio, qua ab Amphictyone, fitio Deucalionis, huic foederi nomen inditum existimant, quamquam etiam hujus nomen pro colectivo gentium, quae ejus vel posterorum ejus imperio parebant, nomine accipi potest. Mansit nomen cum foedere, etiam postquam gens Hellenum variis migrationibus plurimas Graeciae partes occupaverat.

Coloniae Aeoliorum, Jonum, Dorensium, hanc foederum jungendorum rationem in Asiam minorem transferentes, Panaeolium, Panonium et societatem Dorensium ibi constituerunt. Communia eorum concilia sub Apollinis aut Neptuni praesidio Cymae, Mycalae et Triopii habebantur. Praeterea nonnulla alia jam antiquioribus temporibus in Graecia extiterunt foedera, quae omittimus, cum memoria eorum obscurior sit.

Omnia haec foedera, si, quam vim habuerint ad Graecos inter se conjungendos, accuratius quaerimus, negare quidem non possumus, antiquissimis maxime temporibus non parum momenti ea habuisse ad communionem quandam singularum civitatum efficiendam, sed primum patet, ea non ad omnes Graecos pertinuisse, sed ad nonnullas tantum ejusdem stirpis gentes, aut prout locorum vicinitas aut utilitas quaedam ad singulas pertinens eas junxerit; deinde eventus docet, non satis valida ea fuisse ad ea arcenda damna, quibus primum opposita erant, ut fieri solet. Nam foederatae civitates imbecilliores fere sunt quam quae uni imperio parent. Impedire igitur illa foedera non potuerunt, quin plurimi existerent tyranni, Phidon Argis, Omphalio et Pantaleo, filius ejus, Elide, Cypselus Corinthi, quem secutus est Periander filius, Procles Epidauri, Theagenes Megaris, Clisthenes Sicyone, Pisistratus Athenis, qui omnes per intestinas civitatum suarum discordias summam imperii obtinuerunt. Etiam Asiaticorum Graecorum societates impedire non potuerunt, quin Gyges rex Lydorum Colephonem caperet, et Miletum et Smyrnam bello premeret, quin Ardys, filius Gygis Prienas expugnaret et Miletum expugnaret, et Sadyattes bellum contra Milesios continuaret, quin Alyattes, qui Sadyattem exceperat, Smyrnam caperet et Clazomenae bellum inferret, et acceptum a patre bellum contra Milesios persequeretur, quin Croesus denique, filius Alyattis, omnes Asiaticos Graecos, et Aeoles et Jones et

Dores bello subactos tributa sibi pendere cogeret. Neque Cyri dominationem haec foedera avertere potuerunt, quae et ad successores ejus transiit. In Europa Lacedaemonii vim in ceteros Peloponnesios pararunt et majorem eorum partem continuis bellis sub suam redegerunt dominationem. Nota in primis sunt ea bella, quae contra Messenios, Tegeates, Argivos gesserunt. Etiam Athenis foederis Amphictyonum instituta parum valebant, nam ibi quoque multi exstiterunt, qui summum imperium affectarent et per aliquod tempus obtinerent, Cylon, Lycurgus, Megacles, Pisistratus ejusque filii; deinde Isagoras et Clisthenes. Commune Amphictyonum bellum susceptum contra Crissaeos, qui templum Delphicum adeuntes vexabant, nullo eventu languebat. Lacedaemonii non intercedentibus Amphictyonibus arma intulerunt Atheniensibus, quum hi bellis intestinis per Isagoram, Clisthenem et Pisistratidas impliciti essent. Constat etiam Thessaliam perpetuis paene mutuis bellis infestata fuisse, quibus finem imponere Amphictyones non potuerunt. Ne Persis quidem, Graeciam invadentibus, foederum Graecorum vis obstitit. Tota horum bellorum moles nonnullarum tantum singularum civitatum viribus sustentata est. Caveamus igitur, ne justo plus illis foederibus tribuamus. Id tantum in universum recte dixeris, liberam fuisse Graeciam, donec singulis saltem ejus gentibus insitum a majoribus robur et morum integritas constaret; quum vero in dies magis evanesceret communis patriae et sanctae libertatis amor et mutuae rixae atque odia superarent, Graecia emortua torpebat. Depravatis enim gentium moribus raro remedium invenitur. Nihil proficitur institutis quamvis prudenter excogitatis, ubi melior mens ipsos homines destituit. Sic post bellorum Persicorum decora discordantibus bellum Peloponnesiacum ingentem intulit cladem; sic Phocaicum bellum, quod Phocaeenses, edictis Amphictyonum pertinaciter obnitentes conflabant, gliscenti Philippi, regis Macedonum, cupiditati Graeciam ejusque libertatem prodidit proculcandam. Deinde post diuturnam Philippi, Alexandri et eorum, qui eum secuti sunt, regum dominationem foedera quidem Aetolorum et Achaeorum, et ipsa diu emortua, inde a ducesimo et octogesimo circiter anno ante Christum natum revixerunt et per aliquod tempus aliquantulum quidem roboris receperunt, sed mox in communem illorum temporum labem prolapsa mutuis odiis et natis hinc bellis Graeciam lacerarunt et Romanorum arbitrio tradiderunt. Apparet igitur, Graecorum foedera non prorsus inutilia quidem fuisse, tamen non satis valuisse ad communem salutem tuendam. Intestinae eos discordiae praecipites in interitum traxerunt.

Similis erat ratio solemnium ludorum. Dum mens Graecorum sana erat, maxima eorum vis erat ad alendum mutuuum inter eos amorem et concordiam, et ad excitandum virtutis et honestatis sensum, sed postquam mores in pejus mutati sunt, ex eorum vi atque utilitate nihil nisi vana species relicta est, donec et haec interiit.

Haec solemnia splendidissimo apparatu, ingenti hominum ex omnibus Graeciae partibus concursu statis temporibus, Deorum honoris causa peragebantur, Olympia, Pythia, Isthmia quinto, Nemea quarto quoque anno ita, ut post multorum dierum, quin etiam nonnullorum mensium exercitationes aut curribus pluribus equis junctis aut singulis equis, aut cursu, pugilatu, luctatione et disco certaretur. Magnificentia apparatus, solemnia sacrificia et chori Deorum honoris causa cum tibiarum cantu acti, certamina musica, cum et poëtae et cantores artis suae specimina ederent, ut brevibus dicam, certaminum varietas, spectandi et audiendi plurimam afferens materiem, et ipsa locorum fama et sanctitas ingentem hominum frequentiam ad illos ludos advocabat. Origines autem eorum sine dubio hae erant. Antiquissimis jam temporibus solemnia certamina haberi solebant aut Deorum honoris causa aut in exsequiis principum. Id in more fuisse etiam

Homerus testatur, qui Achillem ad Patrocli funebria majori apparatu peragenda Graecos, propositis praemiis, in certamina vocantem facit.

De singulorum horum certaminum instituendorum causis hae fere sententiae feruntur. Quod ad Olympica attinet, quum varia et dubia fama de eorum origine tradita sit, veritati proxima ea videtur esse, Herculem, illum heroum maximum, eorum auctorem fuisse; hunc et ludos illos et templum sanctissimum illud, quod Olympiae erat, Jovi dicasse. Alii existimarunt, sacerdotem quendam, cui et ipsi nomen fuisset Herculi, eos instituisse; alii eos ad Pelopem, alii ad Argonautos referunt auctores. Etiam de Nemeorum certaminum origine varia est fama. Alii Herculem ea instituisse tradunt in memoriam victi a se leonis, qui illa loca infestasset; alii existimant, septem duces, quum Thebas oppugnatum exercitum suum per illam regionem ducerent, instituisse illos ludos in funere Opheltis. Nam quum iter facientes forte in Hypsipylen incidissent, cui Lycurgus, rex Nemeorum, Opheltem, filium suum, custodiendum tradidisset, hanc, ut siti enectis aquam afferret, per aliquod tempus regium puerum in herba deposuisse; tum serpentis, qui ibi latuisset, morsu hunc periisse; in hujus igitur pueri funere celebrando duces illos primum haec solemnia edidisse. Postea quidem hi ludi Jovi consecrati sunt, sed iudices certaminum, Argis, Sicyone et Corintho lecti, ad significandam luctuosam eorum originem squalida veste induti erant. Pythia Apollini sacrata in campo Crissaeo celebrabantur, ubi olim Apollo draconem, nomine Pythonem, interfecerat. In his ludis quum alia certamina tum poetarum et musicorum, Apollinis laudes celebrantium, certamina agitabantur. Isthmia instituta esse feruntur aut a Theseo aut a Sisypho. Neptuno, cui in Isthmo templum erat, sacra erant; simul memoriam Melicertis prodiderunt. Nam Ino, filia Cadmi, uxor Athamantis, ira Junonis in furorem concitata, cum filio suo Melicerte illo loco de rupe in mare se dejecisse fertur; delphinum pueri corpus in littus tulisse, ubi Sisyphus illud sepeliisset. Iudices, qui his ludis praesidebant, ex Atheniensibus legebantur, unde probabile videtur, Theseum, regem Atheniensium, qui Neptuni filius ferebatur, aut auctorem aut restauratorem horum ludorum fuisse.

Omnium igitur horum ludorum maxima erat apud Graecos sanctitas, ita ut summo duceretur honori, victorem in iis citari. Victoriae reportatae gloria ad totam victoris familiam atque adeo ad ipsas urbes pertinebat, cujus civis victor erat, ita ut ei, domum reduci, magna cum pompa obviam iretur, et maximo comitatu ipse a popularibus suis in patriam urbem deduceretur. Gloria ejus poetarum ingeniis praedicabatur conjuncta cum totius familiae patriaeque urbis laudibus. Sic Pindarus lyrae suae grandia sonantis sublimes impetus talibus celebrandis victoriis dicavit. Carmina hujusmodi in solemnium epularum festivitate cantari solebant.

Facile apparet, in illis ludis, qui, cum deorum cultu conjuncti, ab universa Graecia summis studiis celebrabantur, magnam vim fuisse ad omnes ejus gentes communis patriae amore inflammandas, quum et hospitia ibi jungerentur cum privata tum publica singularum civitatum, et ipsa sacrorum communio ad animos intimo vinculo inter se conciliandos plurimum valeret.

Restat, ut de oraculis disseramus, quum et haec non parum momenti habuerint ad civitates Graecorum inter se conjungendas. Oraculorum auctoritas tota posita erat in pia fide, qua deorum in rebus humanis interventui et significationibus divinae voluntatis multum tribuebatur, quae persuasio usque ad belli Peloponnesiaci tempora obtinebat; inde ab hoc tempore simul cum religiosa fide etiam oraculorum apud Graecos auctoritatem evanuisse e certissimis indiciis apparet. Homines priscae fidei addicti persuasum habebant, hominis esse, deorum se voluntati accommodare, voluntatem autem eorum multis varii generis ominibus, prodigiis, augu-

riis, vatumque harum rerum interpretationibus, denique oraculis significari. Poëtas, qui religiosam priscorum hominum fidem adumbrarunt, plurima exempla afferre videmus, quibus probatur, deorum voluntatem aut naturae indiciis aut ortis in ipsa mente humana praesagiis hominibus indicari; carmina eorum plena sunt exemplorum, quibus docetur, maximas poenas e contempta deorum voluntate, luculentis significationibus hominibus prodita, consecutas esse, contra rebus humanis optime consultum fuisse, ubi deorum voluntati illis indiciis significatae obtemperatum fuerit, et maxime quidem Sophoclem defensorem antiquae fidei, in eo elaborare videmus, ut contumacem hominum voluntatem ad fidem divinae voluntati, prodigiis et oraculis significatae, habendam revocet.

Sed concedamus necesse est, oracula florentissimo rerum publicarum statu in Graecia tota pependisse e potentium arbitrio, sicuti postea in Romanorum civitate auspicia in patriciorum vel optimatum manibus fuisse, et omnem prodigiorum et sortium et librorum Sibyllinorum interpretationem in eorum, qui rei publicae praeerant, arbitrio positam fuisse constat. Eadem rerum publicarum ratio erat apud Graecos. Quoties singularum civitatum rectores aliquid magni molirentur, publice legati ad oraculum aliquod mittebantur. Responsis ejus callide datis et callide explicatis obtemperabatur. Sacerdotes enim, qui oracula edebant, se accommodasse constat ad voluntatem eorum, penes quos uno quoque tempore summa imperii erat.

Ceterum notissima oracula haec erant: Dodonaeum, ubi ex ahenorum e quercubus suspensorum sonitu futura praedicebantur, deinde Ammonium, ubi e sortibus vel fortuitis prodigiis a sacerdotibus explicatis responsa dabantur, utrumque Jovi sacrum; Lebadiense Trophonii, vel Trophonii cujusdam inter deos relati hominis vel Jovis auspiciis gestum, denique omnium celeberrimum Delphicum, cujus responsa ab Apolline Pythio, interprete Pythia sacerdote, edi putabantur. Quum cetera oracula serioribus temporibus minus frequentarentur, et Delphici oraculi auctoritate obscurarentur, hoc maximam vim habebat ad regenda singularum civitatum consilia. Sic leges Lycurgi oraculi Delphici responso deorum approbationem acceperunt; sic Themistoclis consilium, bellum cum Persis navibus esse gerendum, ejusdem oraculi edicto probatum est. Itaque hoc oraculum commune quasi fuit totius Graeciae consilium, atque ex illo, melioribus Graeciae temporibus, quum publicis sacris magna fides haberetur, plurima Graeciae salutem spectantia consilia emanarunt, unde non parum fecisse illud existimari potest ad Graecos communi quodam vinculo continendos.

§. 4. Aetas Periclea et initium belli Peloponnesiaci.

Post Cimonem in administranda Atheniensium republica maxime clarus exstitit Pericles, homo, cujus tanta erat apud suos dignitas tantusque apud posteros honor, ut toti illi splendidae aetati, qua ille Atheniensium civitatem regebat, ab eo Pericleae cognomen inditum sit, utque hoc jam nomen vulgari dicendi consuetudine hanc vim acceperit, ut beatissimam in omni genere felicitatem et summum literarum et artium florem significet. Quum ingentes divitiae Athenos confluxissent partim e bellica praeda, partim e tributis, quae singulae Graeciae civitates iis pendebant, Pericles praeter bellicas et civiles necessitates ad nullam aliam rem melius iis uti posse Athenienses existimabat, quam si urbem suam splendidis aedificiis atque aliis artis ope-

ribus ornarent, quae non tantum visu admirabilia essent sed etiam duratura reportatarum summa cum laude victoriarum monumenta. Accedebat, quod Pericle maxime auctore Atheniensium ingenia ad colendas scenicas artes conversa sunt, atque etiam eo principatu, quem in hujus artis cultu obtinuerunt, nomen suum condecorarunt. Quum artes maxime ea re excitentur, si opportuna iis explicandi sui occasio praebetur, quumque artifices tum maxime existere soleant, quum artibus is, qui iis debetur, honor habetur, uni Pericli haec laus videtur tribuenda, quod illo rector Athenae omni artium genere florebat, quippe qui, opportunitate, qua uterentur, iis oblata, ipsas provocaverit et largitionibus suis late patentem campum iis patefecerit, in quo altius exurgerent, quin etiam ad summam perfectionem perducerentur. Inter pauperiores cives e publico aerario pecuniam distribuebat, ut ludos scenicos frequentare possent. Publica in deorum honorem instituta solemnia, quas theorias Graeci vocabant, maximo apparatu celebranda curabat. Odeum exstruxit, magnificum aedificium, forma rotunda, fornicata, musicis certaminibus dicatum, ubi inprimis festis Panathenaeorum diebus artis musicae opera instrumentorum musicorum et vocis humanae concentu exhiberentur. Tigna tecti sumta erant ex malis et trabibus navium Persicarum in pugna Salaminensi captarum, quod gloriosam reportatae victoriae recordationem habebat. In arce Parthenonem, clarissimum Minervae templum aedificari jussit, opus nobilissimorum in arte sua architectorum, Ictini et Callicratis, in quo simulacrum Deae ex auro et ebore a Phidia factum stabat, primarium artis statuariae opus, in quo praeter artis laudem id etiam memoratu dignum erat, quod vestis aurea, qua statua induta erat, ita artificiose composita erat, ut ipsa statua salva detrahi posset, ut, si necessitas id postularet, nummi inde excudi possent. Aliud insigne Athenarum ornamentum, quo Pericles clarissimam illam urbem decoravit, erant Propylaea, magna in arce exstructa, compluribus columnis in plures partes divisa porta, in cujus fastigio statuae dispositae erant. Adjuncta ei erat via, quadratis lapidibus strata, quae per magnum graduum numerum in ipsam urbem descendebat. Hanc viam ex utraque parte nemora attingebant, olivis sata, innumerabili statuarum multitudine ornata. Minervae statuam aeneam ingenti altitudine in Sunio promontorio collocandam curavit, factam e praeda in pugna Marathonensi parta, cujus simulacri cassis et hasta e centum viginti stadiorum intervallo conspiciantur. Praeterea multis aliis templis, statujs, publicis hortis Pericles Athenas ornavit, quae omnia ex ingentibus illis divitijs perficere potuit, quibus illis temporibus haec urbs affluebat. Quum aliquando a malevolis adversariis nimiarum largitionum accusaretur, quibus aerarium publicum exhauriret, ita se defendit, ut diceret, si Athenienses sumptuum in tanta opera impensorum poeniteret, se omnia e suo redditurum. Hinc pudore moti accusatores obmutuerunt. Ipse in administranda republica tanta erat religione, ut nunquam ne denarium quidem e publica pecunia in suum usum converterit. Ipse privati hominis more vivebat, eo contentus cultu, cui ex agrorum suorum redditibus satisfacere posset, et semper paratus ad rationem reddendam sumptuum, quos in rempublicam faciebat. Intima cum Phidia et Anaxagora philosopho conjunctus erat amicitia, quos, quum ab hominibus, qui eorum animi magnitudinem recte aestimare non possent, accusarentur, ille ambitiosae arrogantiae, hic impietatis, summo studio protegebat. Anaxagora in philosophia magistro usus erat, et ipse profiteri non dubitabat, hujus potissimum se scholis eam vim oratoriam, qua unus omnium excellebat, debere. Tamen Anaxagoras, impietatis accusatus, ut stolidae plebis invidiam effugeret, Athenis cedere coactus est, qua in fuga Pericles eum sublevavit.

Per illud tempus, quo Pericles rei publicae Atheniensium praeerat, quamquam hi arti-

bus, mercatura, divitiis et bellicis opibus florebant, tamen discordia illa, quae Graecis gentibus hostilem in se ipsas animum inspirabat, in dies magis erumpens in futuram eas ruinam trahere coepit. Phocaeensibus, qui summam in Delphos et templum Delphicum potestatem sibi arrogabant, quum Lacedaemonii bellum inferrent, simul ut priorem in consulendo oraculo locum obtinerent, Atheniensis auxilio praesto fuerunt, eoque sibi ipsis hunc honorem vindicaverunt. Interea Megarenses et Euboeenses, a Lacedaemoniis adjuti, tributis Atheniensibus pendendi magnitudinem aegre ferentes, horum imperium abjicere conati sunt. Megarenses praesidium Atheniensium ex urbe sua expulerunt, sed brevi post iterum in eorum potestatem concesserunt. Auxilium Lacedaemoniorum Euboeae rebellanti missum Pericles eo eludebat, quod Cleandridam, tutorem Plistoanacis, regis juvenis, pecunia corrupit, quo factum est, ut Plistoanax rebus infectis ex Euboea se reciperet, quam nomini suo illatam ignominiam Lacedaemonii ita uli sunt, ut Cleandridam capitis damnarent, Plistoanacem in exilium mitterent. Euboea in potestatem suam redacta, Athenienses Histiaeos, qui praesidium navis cujusdam Atheniensis interfecerant, partim occiderunt, partim sub corona vendiderunt; agros eorum pauperibus civibus distribuerunt. Tum anno 445 a. Ch. n. induciae in triginta annos inter Lacedaemonios et Athenienses factae sunt; sed Athenienses vexare socios, sicuti antea Lacedaemonii fecerant, non destiterunt. Samum insulam, cujus efflorescens maritima potentia iis jam periculosa videbatur, opprimere studebant. Quum igitur Samii bellum cum Milesiis gererent, Athenienses, hanc occasionem opportunam ad aggrediendam insulam opportunam rati, classe Milesiis auxilio missa Samum expugnaverunt, et summa rerum ibi ab optimatibus ad plebem translata et obsidibus ex nobilissimis familiis captis Lemnum abductis ipsam insulam praesidio ibi collocato tenebant. Sed Samii, inita cum satrapa Persico, qui Sardibus sedem suam habebat, societate, rebellaverunt, et a Persis adjuti obsides recuperaverunt et victum Atheniensium praesidium satrapae illi tradiderunt. Summa potestas optimatibus reddita est. Eodem fere tempore Byzantium ab Atheniensibus deficit et Samiorum classis, auxilio missis a Persis et Phoenicibus navibus ad septuaginta navium numerum aucta est. Sed Pericles etiam hac classe devicta Samum denuo obsidione cinxit. Nihilominus, quum ipse contra Phoenices profectus esset, Samii eruptione facta duce Melissio obsidentes vicerunt. Tum Pericles redit et iterum captam Samum acerba poena afflixit. Omnibus eos spoliatis navibus, tributum ducentorum talentorum exigit, urbis moenia diruit et multos obsides secum abducit; denique etiam Sami, sicuti in Euboea antea factum erat, multi pauperiorum civium Atheniensium agros acceperunt. Byzantium iterum in potestatem Atheniensium redactum est. Pericles, his rebus gestis, victor domum redit et laudationem eorum, qui Sami occiderant, habet. Megarensibus sub mortis poena omni cum Athenis mercatura interdictum est. Odium illud jam inveteratum, quo dissidebant Athenienses et Peloponnesii, manebat. Quum igitur illi, potentia et rerum gestarum gloria elati, quasi publicum laudum suarum testimonium sibi exposcere vellent, legatos ad omnes Graeciae civitates mitterent, qui eas hortarentur, ut legationes Athenas mitterent, ad gratias Diis persolvendas ob victorias de Persis reportatas et ad communia de restituendis dirutis templis; de patria etiam in posterum contra Persas defendenda, deque communi servanda pace ineunda consilia, hi legati alienatis animis a Peloponnesiis auditi sunt; neque iis obtemperatum est.

Sed jam animum ad internum reipublicae Atheniensium statum, qui fuerit illis temporibus, adtendamus, et videamus, quo modo Pericles in ea se gesserit. Hac in re multa ei crimini vertuntur, primum, quod in multis illis, quae tum Athenis constituta erant, judiciis judicum

numerum mimis auxerit, deinde, quod inferioris ordinis civibus, ut interessent publicis concionibus, tres in diem obolos e publico aerario dandos curarit, itemque aliquam pecuniam, qua sibi ad scenica spectacula aditum pararent, tum, quod plebis potentiam nimis auxerit, contra Areopagi auctoritatem imminuerit, omnino, quod inferiori plebi morumque licentiae frena nimis laxarit, denique quod nimis acerbus in socios belli calamitosi Peloponnesiaci auctor fuerit. Sed contra has reprehensiones monendum est, alteram earum partem non tam invidiosam esse, quam videatur, alteram non in ipsum Periclem, sed in temporum illorum conditionem et universam rei publicae Atheniensium conformationem cadere, quam ille immutare nullo modo potuit. Universa enim rei publicae forma inde a Solonis temporibus ad summam rerum gerendarum potestatem plebi conciliandam vergebat, et ne ab Aristide quidem impetus ille plebis, quo haec ad aequanda cum nobilibus jura sua ferebatur, reprimi potuerat. Quod auxisse nimis judicum numerum arguitur, id ut faceret, necessitas ipsa postulabat, quum ipsae causae et civiles et publicae in infinitum auferentur, quum mercaturae commercium crevisset et res publicae in dies magis implicitae fierent, quumque Athenienses magis quam ulla alia gens litigiosi essent. Quod civibus tenuioribus, ut adessent in concionibus publicis, modicam ex aerario pecuniam pendebat, id aequitas et rerum status postulabat. Nam quum multi cives magnis divitiis florent, alii, ut fieri solet, admodum tenui aut nullo quaestu in summam paupertatem detrudebantur. Hos igitur omnem quotidianam operam ad rem privatam facitandam intentos esse oportebat, ita ut rebus publicis prorsus abstinerent, aut, si leges postularent, ut operam suam rebus publicis impenderent, haec iis opera aliqua saltem mercede remuneranda erat. Contra, si pauperiores cives propter rei familiaris tenuitatem a gerendis rebus publicis prorsus exclusi fuissent, summam rerum ad optimates redire necesse erat, et invidia hinc orta summas in republica turbas sine dubio excitasset. Quod inferioris sortis hominibus spectacula scenica frequentandi copiam fecit, id eo spectabat, ut etiam hi ad liberaliorem ingeniorum cultum et ad altiores sensus erigerentur, ut gens Attica, quantum potentia, tantum eruditione ceteras gentes antecederet, simul ut a periculosis studiis, quae rerum publicarum statum turbare possent, avocaretur. Quod denique nimis aucta plebis potentia et, quae conjuncta cum ea fuisse dicitur, effrenata morum licentia ei exprobratur, id non nisi temporum illorum habita ratione recte aestimari potest. Jam in institutis a Solone latis semina inclusa erant futurae praevalentis plebis potentiae et ad hoc ipsum gentis Atticae indoles inclinabat. Jam Solonis aetate factum erat, ut plebs ab Areopagi decretis ad concionem populi provocaret, et de rebus maximis, antea a senatu non deliberatis, in comitiis suis decerneret. Creverat postea ejus potentia Clisthenis et Themistoclis studiis, ita ut vel Aristides, nobilitatis propugnator, facere non posset, quin ei cederet. Quarta civium classis, postquam vim suam in bellis Persicis e perpetratis suo robore facinoribus cognoverat, ut aequata cum prioribus tribus jura obtineret, evicerat, aditumque sibi ad summos in republica honores paraverat. Mores publici sane in majori omnium rerum ad luxuriam pertinentium affluentia ad pejus inclinabant; sed hanc pestem nemo adhuc vir in rebus publicis gerendis constitutus adeo potens fuit ut impediret et averteret. Postremo, quod Pericles nimiae in socios severitatis, vel acerbitalis atque adeo crudelitatis accusatur, etiam in his necessitas quaedam eam urgebat. Nam stare Atheniensium potentia omnino non potuit, nisi sociorum pertinacia et semper prona eorum ad deficientium proclivitas quavis ratione, etiam gravissimarum poenarum terroribus frangeretur. Discussis igitur omnibus criminandi Periclis causis apparet, magnum eum fuisse virum et rerum publicarum gerendarum peritissimum.

Sed pessimum, quod Athenis et universae Graeciae accidere potuit, illis ipsis temporibus, quibus plurimae ejus civitates opibus maxime florebant, factum est. E contrariorum sibi studiorum dissidio exarsit calamitosissimum bellum Peloponnesiacum, quod, si brevibus definire velis, recte dicas fuisse acerrimam, armis gestam contentionem inter duas contrarias sibi factiones, per totam Graeciam pertinentem, cujus duces ab altera parte Athenienses ab altera Lacedaemonii erant. Vera hujus contentionis causa in mutuo harum partium posita erat odio, nato ex invidia illa et aemulatione, qua jam dudum Lacedaemonii et Athenienses de obtinendo Graeciae principatu inter se certabant. Sed non inter has duas tantum gentes res gesta est, sed tota Graecia in duo quasi castra discessit, prout alterae ejus civitates a Lacedaemoniorum, alterae ab Atheniensium partibus stabant. Paucae tantum huic omnia complectenti contentioni subtrahere se potuerunt; praeter Argivos et Achaeos omnes in hunc vorticem rapiebantur. Simul haec contentio eam vim habebat, ut duo diversa civilia studia in eo inter se pugnarent, quum una pars civitatum Graecarum optimatum, altera plebis jura in obtinenda summa imperii defenderet. Antecesserant multa futurarum irarum indicia, malevola Lacedaemoniorum in aedificandis Athenarum moenibus intercessio, translatus a Lacedaemoniis ad Athenienses rei contra Persas gerendae principatus, repudiata a Lacedaemoniis bello tertio Messeniaco auxilia Atheniensium, expulsi in exilium Themistocles et Cimon, alter Lacedaemoniorum, alter Atheniensium irae succumbens, deinde gesta in Phocide et Euboea bella, interdictum Megarensibus mercaturae cum Athenis commercium, irrita Atheniensium legatio. In hoc igitur animorum habitu una tantum scintillula opus erat ad ingens per totam Graeciam incendium excitandum et fieri non potuit, quin prima quaeque oblata causa omnes in arma vocaret. Talis exacerbatarum jam mentium nova irritatio sponte quasi consecuta est iis turbis, quae inter Corecyram et Potidaeam, duas Corinthiorum colonias, exstiterunt. Hoc bello semel concitato incredibile dictu est, quanta crudelitate et quantis odiis gestum sit, ita ut et ipsum documento sit, omnium bellorum atrocissima esse solere civilia et domestica. Maximum vero damnum, quod ex eo consecutum est, fuit major, quam quae dici possit, morum depravatio, odiis extinctus communis patriae amor, funditus sublata religio et pietas, gliscens per animos perfidia, sensuum a natura ipsa homini insitorum extirpatio, effrenata morum licentia. Et non ferro tantum et igni in hoc bello saevitum est; in cumulum malorum accesserunt pestes et terrae motus, tanquam Deorum ab impia gente exactae poenae. Atque vere dici potest, inde ab his temporibus tantis calamitatibus fractam Graeciam nihil jam egregie, nihil fortiter, nihil ita gessisse, ut retinere contemplantium admirationem possit. Ceterum Thucydides tanta veritate et tam alta rerum et personarum indagatione viginti priores hujus belli annos descripsit, ut opus ejus aeternum condendae historiae exemplum sit.

Corecyra igitur, colonia Corinthi, oppidum opibus florentissimum, vincula rumpere cupiebat, quibus cum metropoli sua conjuncta erat, simulque optimatum et plebis de summa rerum decertantium contrariis studiis infestabatur. Similis rerum status erat Epidamni, quod oppidum colonia Corecyrae erat, quum etiam ibi nobiles et plebeji discordarent. Victi optimates et expulsi, arcessitis a Talantinis auxiliis, obsident Epidamnum. Obsessi, quum frustra a Corecyraeis auxilium expeterent, Corinthum precibus adeunt, et facile ab iis, qui Corecyraeis male cupiebant, exauditi, impetrant, quod volunt. Ita Epidamnum obsidione liberata est. Hac re irati Corecyraei victis et ab Epidamno propulsatis auxilium mittunt. Victa Corinthiorum classe et Epidamno expugnata reducunt exules et ipsam Corinthum aggredi statuunt. Corinthii sibi ipsis jam timentes summo studio se defendere parant, et totum foedus Peloponnesiacum, — nam civitates Pelo-

ponnesiacae jam societate se conjuxerant, — hortantur, ut hostilem incursionem arvis avertant. In hoc jam imminente bello summum momentum apud Athenas fore omnibus apparebat. Itaque et a Coreyraeis et a Corinthiis legati eo missi sunt, qui earum societatem suis civibus conciliarent. Post causam ab utrisque peroratam Athenienses, qui Coreyraeis magis quam Corinthiis favebant, et in bello, quod ipsis a foedere Peloponnesiaco imminere existimabant, auxilium Coreyrae maximo usui sibi esse posse judicabant, societatem cum Coreyraeis jungunt, sed non ad oppugnandam Corinthum, ut belli contra hanc suscepti suspicionem a se averterent, sed ad Coreyram defendendam. Mittunt igitur viginti naves, quae id effecerunt, ut Corinthiorum classis, fuis Coreyraeis, impediretur, quominus ad insulam ipsam appelleret. Corinthii igitur, ad summum contra Athenienses odium inflammati, Peloponnesum in arma vocant, et oppida socia Atheniensium ad defectionem sollicitant, et maxime quidem Potidaeam, coloniam suam. Athenienses hanc obsidione cingunt; Potidaeatae a Lacedaemoniis et Corinthiis auxilium petunt. Quo facto legati a plurimis Peloponnesi civitatibus, a Megarensibus et Aeginetis missi, Lacedaemonem conveniunt, quo in conventu, quum omnes gravissime de saeva Atheniensium superbia quererentur, bellum contra hos decernitur, nisi his ab iis conditionibus satisfactum esset, primum ut ab obsidione Potidaeae abstinerent, deinde ut Megarensibus mercatus sui copiam facerent, tum ut Aeginam et omnes socias urbes et insulas in libertatem restituerent, denique ut posteros illorum sacrilegorum, qui olim Cylonidas occidissent, expellerent. Haec postrema conditio Periclem spectabat, qui e familia Alcmaeonidarum oriundus erat. Athenienses Pericle auctore responderunt, se facturos, quod illi poscerent, si Lacedaemonii idem facerent, si peregrinos ad mercatum suum admitterent, si socios suos liberos esse juberent, si posteros eorum, qui Pausaniam in templo Minervae ad mortem adegissent, poena afficerent, denique si Megarenses desisterent, servos Athenis profugos hospitaliter excipere. Pericles, ut bellum fortiter suscipere, his de causis Athenienses studiosissime exhortatus est, quod conditiones a Lacedaemoniis latae nimiae essent arrogantiae, quod Lacedaemonii, si in his iis obtemperatum esset, semper plura et atrociora postulaturi essent, quod Athenienses omnibus rebus ad bellum necessariis abundarent, quod maxime praepotenti classe sua confidere possent.

Dum haec utrinque aguntur, subito una Thebanorum factio, quae Plataeenses, constantes in fide socios Atheniensium, ab amicitia eorum avertere et ad Boeotiorum foedus, cujus ipsi principes erant, adigere cupiebant, prima nocte in urbem Plataeas irrumpunt, et urbe capta, id, quod volebant, impetrant. Sed Plataeenses, quum e primo terrore nocturnae incursionis se recepissent, fortiter parvam Thebanorum manum invadunt et partem eorum occidunt, partem ex urbe expellunt, reliquos centum octoginta capiunt. Tum alia Thebanorum manus, quae postero mane et ipsa per Plataeensium fines incurrerat, nonnullos per campos dispersos Plataeenses capit, et, quum conditiones ultro citroque latae nullum exitum haberent, Plataeenses ira inflammati captos Thebanos trucidant. Athenienses iis, si forte a Thebanis obsiderentur, auxiliares copias mittunt. Hoc initium fuit apparatus bellicorum per universam Graeciam summo studio susceptorum et belli ex ingenti odio exorti.

Lacedaemone Archidamus rex, quum in eo esset, ut exercitum in Atheniensium fines perduceret, milites, concione convocata, exhortatus est, ut omnia militiae munia strenue expleant; omnium Graecorum oculos in ipsos conversos esse; dignos se praestarent majorum virtute. Athenis Pericles, summus belli dux, quum Lacedaemoniorum incursionem exspectaret, et in patienti campo hosti non satis parem se videret, agros arbitrio ejus permittere et ipsam tantum

urbem defendere statuit. Omnia igitur bona, quae moveri poterant, intra urbis moenia comportanda curavit, jumenta tantum, quibus neque pabulum neque locus in urbe suppetebat, in insulam Euboeam aliasque vicinas insulas transmitti jussit. Contra id consilii ceperat, ut classe, quae superior erat, litora Peloponnesi devastaret. Ceterum Athenienses hortatus est, ut bono animo essent; omnibus rebus ad bellum necessariis eos abundare, maxime navibus et pecunia; in aerario sex millia talentorum deposita esse; praeterea, si haec tanta pecunia exhausta esset, magnam vim auri in templis esse, quo ad sublevandam inopiam uti possent. Sed quamquam ille magno animo erat, suosque cives eodem animo esse jubebat, tamen facies urbis tristissima erat. Ingens hominum multitudo, quae ex agris in urbem concesserat, omnia implebat, fora, vias, templa, omnia patentia loca intra moenia usque ad Piraeum. Plurimi graviter ferebant, quod domibus suis excedere, agros relinquere, omnia prope sua hosti prodere coacti essent. Praeterea fieri non potuit, quin summa caritas annonae in urbe existeret, quin omnis pristinae vitae consuetudo vehementer turbaretur, quin etiam locupletiores solitis oblectamentis et elegantiori victu carerent. Sed lamentationes et in ipsum Periclem jactae vociferationes, quae eum tanquam unicum hujus belli auctorem detestabantur, augebantur adeo, quum Lacedaemonii revera magna suorum manu in fines incurrerent, et ipsam urbem obsiderent. Pericles, hoc ipso temporis momento verecundius nomen ejus appellator, — omnia haec constanti animo ferre, ubique praesens hortari et omnia diligentis reipublicae rectoris munia exsequi. Periculi avertendi causa classem in Peloponnesum misit. Tum Archidamus, quum urbem capere se non posse videret, se recepit, et socii suam quisque domum dimissi sunt. Athenienses interim quum alia loca vastabant, tum Methonen, oppidum Laconicum, adorti sunt, jamque in eo erant, ut eam caperent, quum Brasidas, vir fortis, cum centum gravis armaturae militibus auxilio venit, per hostes viam sibi aperuit et urbem servavit. Quare ingentem sibi fortitudinis famam peperit. Quum hiems appropinquaret, etiam classis Atheniensium domum se recepit. Athenienses obsidione liberati et liberius respirantes aequiore jam animo de hujus anni eventu judicabant et consilium Periclis laudabant. Sed insequenti anno pestifera lues Athenas infestabat, ex Aegypto eo translata, qua cum multa millia hominum tum ipse Pericles absumtus est, triste futurae belli fortunae omen. Sed quum nobis non propositum sit, hujus belli casus longius persequi, id unum addamus, hoc bellum non solum Atheniensium vires fregisse, sed etiam initium fuisse earum calamitatum, quibus Graecia denique libertate privata est et omnem dignitatem amisit, Periclem vero fuisse cum suae aetatis eminentissimum virum tum eum, cujus gloria nulla unquam vetustate obrui possit. Civis ille fuit patriae amatissimus, rerum publicarum sapientissimus moderator, communis civium suorum salutis propugnator et literarum et artium et omnis humanitatis cultor et peritissimus aestimator. In aeternum favebunt ejus memoriae literarum amatores.

N a c h r i c h t

von dem Zustande

des

Königlichen Gymnasiums zu Lissa

während des Schuljahrs von Ostern 1848 bis Ostern 1849

vom

D i r e c t o r .

W i a d o m o ś ć

o stanie

Królewskiego Gimnazjum w Lesznie

w ciągu roku szkolnego od Wielkiénocy r. 1848
do Wielkiénocy r. 1849.

napisana przez

D y r e k t o r a .

Nachricht

von dem Zustande

des

Königlichen Gymnasiums zu Lissa

während des Schuljahres von Ostern 1818 bis Ostern 1819

von

D. L. K. S. L. S.

W i a d o m o s t o

o s t a t t e

Królewskiego Gimnazjum w Lissie

w eigenem roku szkolnym od Wielkonoce r. 1818

do Wielkonoce r. 1819.

napisał

D. K. S. L. S.

A. Lehrverfassung.

Durch den unerwartet frühen Beginn der Osterferien im Jahre 1848 verhindert, ein Programm der Anstalt zu veröffentlichen, liegt es mir hier ob, nachträglich die im Schuljahre 1847 stattgehabten geringen Veränderungen aufzuführen: Während nämlich der Lehrplan im Allgemeinen derselbe geblieben war, als in den früheren Jahren, auch die Besetzung der Unterrichtsgegenstände nur durch die unten in der Chronik des Gymnasiums bemerkten ebenfalls geringen Aenderungen im Lehrpersonal berührt wurde, machte die grosse Frequenz von Tertia eine Trennung dieser Klasse nöthig. Diese wurde, um das stufenweise Fortschreiten der Schüler so wenig als möglich zu stören, in der Weise bewerkstelligt, dass gleichsam der zweijährige Cursus von Tertia in zwei einjährige Curse zerlegt wurde, und die Untertertia, obgleich sie extensiv dasselbe Pensum hatte, als die Obertertia, derselben doch dadurch untergeordnet war, dass in der höheren Abtheilung die Bekanntschaft mit dem ganzen Umfange des Pensums der niederen vorausgesetzt und durch ein intensiveres Durcharbeiten desselben weiter ausgebildet wurde. Diese Trennung wurde mit Beginn des verfloßenen Schuljahres bei verminderter Frequenz wieder aufgehoben, und der Unterricht von da ab in folgender Weise ertheilt:

A. Rozkład nauk.

Nie mogąc z powodu feryj wielkanocnych, które w roku 1848 nad spodziewanie zbyt wczesnie się zaczęły, drukiem ogłosić programu, przytoczę teraz przynajmniej owe małe odmiany, jakie w roku szkolnym 1847 pozachodziły. Kiedy bowiem plan nauk w ogólności ten sam, co i w latach poprzednich, pozostał, i obsadzenie przedmiotów naukowych tylko dla wyrażonych niżej w kronice gimnazjalnej, również małych zmian co do osób nauczycieli naruszonem zostało, wielka ilość uczniów w tercyi sprawiła, że rozdzielenie téjże klasy nastąpić musiało. Aby jednakowoż stopniowemu postępowaniu uczniów ile możności jak najmniej nie przeszkadzać, stało się takowe w ten sposób, że dwuletni kurs tercyi na dwa jednoroczne kursa rozłożonym został i że niższa tercyja, jakkolwiek co do rozciągłości to samo pensum miała co i wyższa, to jednakowoż przez to zajmowała podrzędne stanowisko, że oddział wyższy uważał się jako już obeznany z całym zakresem nauki niższego, i że rzecz głębiej przechodził. Rozdzielenie to z początkiem upłynionego roku dla zmniejszonej liczby uczniów znowu ustało, a nauka zaś odtąd w następujący sposób:

P r i m a.

Latein. Prosaische Lectüre 3 St. nämlich Tacit. 1 St. w. zweites Buch c. 1—73 incl. Cic. Tuscul. lib. V. 2 St. w. Nächst der Erörterung des Sachlichen und Grammaticchen ward besonders auf das Memoriren der in diesen Abschnitten enthaltenen Phrasen geachtet. Styl 3 St. w. freie Ausarbeitungen, Exercitien, schriftliche und mündliche Extemporalien, einige Sprechübungen. Matern. Horatii Carm. lib. I und IV. 2 St. Ziegler.

Griechisch. Thucydid. lib. I cap. 1—80. 3 St. Homer. Iliad. lib. VIII—X. 1 St. Grammatik: Die Lehre vom Verbum im einfachen und zusammengesetzten Satze. Exercitien und schriftliche Uebersetzungen 1 St. Ziegler.

Deutsch. Fünfwöchentliche Aufsätze; freie Vorträge. Literaturgeschichte: Die 5 ersten Perioden; grammatische Erläuterung eines gothischen und eines mittel hochdeutschen Bruchstückes; übersichtliche Darstellung der Zeit von Luther bis Klopstock 2 St. Olawsky.

Polnisch. Prima und Secunda in ihren Mitgliedern deutscher Abkunft combinirt, prosaische und poetische Lectüre aus Nowe wypisy etwa 35 Seiten und Uebersetzung aus dem Deutschen ins Polnische. Exercitien und schriftliche und mündliche Extemporalien. Nächst dem Grammatischen ward besonders auf das Memoriren von Phrasen gehalten 2 St. Matern.

Französisch. Lectüre von Ideler u. Nolte's Handbuch. Nach Steck's Grammatik wurden die Abschnitte vom Zeitworte, seiner Rektion, dem Gebrauch der Hilfszeitwörter, vom Infinitiv und Conjunctiv durchgenommen und die dazu gehörigen Stücke in der Beispielsammlung übersetzt. Correctur zweiwöchentlicher Exercitien und Extemporalien 2 St. Witt.

Hebräisch. Grammatik: Repetition der gesammten Etymologie mit Erörterung bemerkenswerther Einzelheiten, nach Gesenius, und Lectüre. Jud. c. 1—5, und 17 Psalmen, mit besonderer Berücksichtigung des Syntactischen nächst dem Etymologischen 2 St. Matern.

Religion. Evang. Von Ostern bis Michaelis Geschichte des apostolischen Zeitalters nach Bender vom § 1—15. dabei Lectüre der Apostelg. im Grundtexte c. 1—20 mit Auswahl 2 St. Rogge.

Von Michaelis bis Ostern: Wiederholung der ersten §§. — dann weiter bis zu Ende des zweiten Zeitraums. 2 St. Grabig.

Kathol. Die Kirchen-Geschichte bis zum 8ten Jahrhunderte 1 St. Aus der heiligen Schrift des neuen Bundes der Brief an die Hebräer, die Briefe des heiligen Petrus und der des heiligen Jacobus übersetzt und erklärt 1 St. Frasunkiewicz.

Geschichte und Geographie. Die neuere Geschichte von der Entdeckung der neuen Welt bis zur französischen Revolution (Ende des 15ten Jahrhunderts bis 1789) 2 St. Tschepke.

Mathematik. Geometrie. Wiederholung der gesammten elementaren Planimetrie; die ebene Trigonometrie. — Auflösung von konstruktiven, geometrisch-algebraischen und trigonometrischen Aufgaben 2 St.

Arithmetik. Wiederholung der algebraischen 4 Spezies; die Lehre von den Potenzen und Wurzeln; die Logarithmen; die Gleichungen des ersten Grades mit einer und mehreren Unbekannten, die Gleichungen des zweiten Grades, reine und unreine, mit einer und mehreren Unbekannten. Auflösung einer Menge algebraischer Aufgaben aus diesem Gebiet 2 St. v. Karwowski.

Physik. Einleitung zur Physik, Mechanik, Hydrostatik und Aerostatik 2 St. Toeplitz.

Philos. Propädeutik. Uebersetzung und Erläuterung der Elementa logices aristotelicae von Trendelenburg 1 St. Olawsky.

S e c u n d a .

Latein. Grammatik nach Zumpt: die rectio casuum; Deklamations-Uebungen; wöchentliche (mündliche und schriftliche) Exercitien aus Süpfle's Stilübungen 3 St. Cic. pro Roscio Amerino 1 St. Liv. Lib. XXV. u. XXVI — cap. 25. 2 St. Olawsky. Terenz' Andria gelesen mit sachlicher, grammatischer und metrischer Interpretation. Metrische Uebungen 2 St. Dr. Methner.

Griechisch. Lectüre Homers Ilias lib. VI—VII. 2 St. Tschepke. — Xenoph. Anab. lib. I. und II. 3 St. Grammatik: Die Lehre vom Subject, Attribut und Object, nach Buttman. Exercitien 1 St. Ziegler.

Deutsch. Fünfwöchentliche Aufsätze; Deklamations-Uebungen und freie Vorträge; Erläuterung einzelner Literaturproben und kurze Uebersicht der letzten Periode der Literatur — beides in engem Anschlusse an Bachs deutsches Lesebuch. (obere Abtheilung) von pag. 65 ab (Hagedorn, Klopstock, Rabener, Küstner, Lessing, Göthe, Jung Stilling) 2 St. Olawsky.

- Polnisch* mit Prima combinirt.
- Französisch.* Lektüre des Charles XII mit grammat. Erläuterungen und Uebungen im freien Erzählen. Aus Steck's Grammatik wurden die Abschnitte vom Eigenschaftswort und Zahlwort durchgenommen und die dazu gehörigen Stücke aus der Beispielsammlung ins Französische übersetzt. Korrektur zweiwöchentlicher Exercitien und Extemporalien 2 St. Witt.
- Hebräisch.* Gramm.: die Etymologie in ihren Grundzügen, nach Gesenius und Lectüre nach Gesenius Leseb. p. 1—25 2 St. Matern.
- Religion* mit Prima combinirt.
- Geschichte und Geographie.* Alte Gesch. Griechisch-Macedonische Zeit von Alex. dem Gr.; dann die röm. Gesch. von Anf. bis auf Augustus 2 St. Tschepke.
- Mathematik.* Arithmetik. Wiederholung des Cursus von Tertia. Die Lehre von den Gleichungen des ersten Grades mit einer und mehreren Unbekannten; die Gleichungen des zweiten Grades, reine und unreine. Auflösung der Gleichungen aller Arten und Auflösung algebraischer Aufgaben vom ersten Grade mit einer Unbekannten 2 St.
- Geometrie. Wiederholung des Cursus von Tertia. Die Planimetrie wurde mit der Lehre vom Kreise beendet und darauf die ebene Trigonometrie in ihren ersten Begriffen und Lehrsätzen durchgenommen 2 St. v. Karwowski.
- Physik.* Theorie der Elektrizität, des Magnetismus, des Galvanismus und des Elektromagnetismus 1 St. Töplitz.

T e r t i a .

- Latin.* Lectüre Caesar de bello gallico lib. V. und VI. 3 St. Grammatik nach Putsche, das zweite Hauptstück vom Verbum ganz. Wöchentlich ein schriftliches Exercitium nach Hottenrott 3 Stunden. Tschepke.
- Ausgewählte Stellen aus Ovids Metamorphosen 2 St. Olawsky.
- Griechisch.* Lectüre: Homer's Odyssee lib. IX. v. 216 bis zu Ende lib. X: 1—260 3 St. Xenophon. Anabas. III. c. 4 u. 5. und IV, 1 u. 2. 2 St. Grammatik nach Buttman: Syntax bis zum Verbum exclusiv. 2 wöchentlich ein Exercit. 1 St. Tschepke.
- Deutsch.* Lectüre von Bach's deutsches Lesebuch, mittlere Lehrst. Abth. 1 nach Auswahl, mit grammat., metrischen, ästhetischen und histor. Erläuterungen. Declamirübung von meist aus Bach entlehnten Gedichten. Versuche in freierem prosaischen Vortrage. Besprechung, Anfertigung und Correctur von Aufsätzen — deren Themata theils der Geschichte, theils dem gewöhnlichen Leben entnommen wurden 2 St. Rogge.
- Polnisch* mit den deutschen Schülern von IV. combinirt. Uebersetzen der leichteren Stücke in den Wypisy von S. 66—96. Uebungen im Lesen und Deklamiren kleiner auswendig gelernter Erzählungen, 3wöchentliche Correctur schriftlicher Arbeiten. Grammatik nach Popliński vom Fürwort und das Hauptsächlichste vom Zeitwort 3 St. Witt.
- Französisch.* Einübung der unregelmässigen Conjugation und elementaren Syntax nach Steck's Grammatik. Uebersetzung aus dem Deutschen ins Französische nach demselben Handbuch, und Lektüre aus Ahn's Lesebuch Th. II. 2 St. Witt.
- Religion.* Evang. Christliche Glaubenslehre 2 St. Pflug.
Kathol. Die Eschatologie und die gesammte Sittenlehre 2 St. Frasunkiewicz.
- Geschichte und Geographie.* Neue Geschichte nach Dielitz 2 St. Topische, physikalische und polit. Geogr. von Deutschland nach Selten 1 St. Rogge.
- Mathematik.* Arithmetik. Wiederholung des Cursus von Quarta. Die Proportionslehre mit den ins praktische Leben eingreifenden Rechnungen. Die Lehre von den Potenzen und

Wurzeln. Die Entwicklung des Dezimalsystems und der besonderen Eigenschaften der Zahlen. Binomialsatz in den Grundzügen. Ausziehung der Quadrat- und Kubikwurzeln.

Geometrie. Wiederholung des Cursus von Quarta. Die Aehnlichkeit der Dreiecke und Polygone; der Flächeninhalt derselben; einige einleitende Lehrsätze in die Lehre vom Kreise 3 St. v. Karwowski.

Q u a r t a.

Latein. Corn. Nep. die ersten acht vitae (Milt.-Thrasylb. incl.) verbunden mit Memorir-Übungen 3 St. Matern. Grammatik: Die Lehre vom Gebrauch der Casus nebst dem Wichtigsten vom Gebrauch der Modi und Tempora. Correctur der 14tägigen Exercitien und vierwöchentlichen Extemporalien. Schriftliche und mündliche Uebung im Uebersetzen aus dem Deutschen. 5 St. Dr. Methner.

Griechisch. Grammatik: Die gesammte Etymologie in ihren Hauptformationen nach Buttman 3 St. Lectüre Jacobs Leseb. (13te Ausg.) p. 1—28. 36—41. 2 St. Matern.

Deutsch. Lectüre prosaischer und poetischer Stücke aus Bachs deutschem Lesebuch, mittlere Lehrstufe 1 Abtheilung nebst grammatischer und sachlicher Erklärung. Memoriren von Gedichten aus derselben Sammlung. Uebungen im Erzählen. Correctur der 4wöchentlichen Aufsätze (erzählenden Stoffes). 2 St. Dr. Methner.

Polnisch mit Tertia combinirt.

